DE HYDROTHORACE DISSERTATIO AD MEDICINÆ LAUREAM RITE...

Giovanni Giuseppe Chiandetti

DE

HYDROTHORACE

DISSERTATIO

AD MEDICINÆ LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

EXHIBITA

A

JOANNE JOSEPHO CHIANDETTI

PATAVII

TYPIS CARTALLIER ET SICCA

MDCCCXXXVIII

64

BARPTOLOMÆO SIGNORONI

CHIRURGIÆ
IN UNIVERSITATE PATAVINA
PUBLICO PROFESSORI
VIRO
SCIENTIA ET HUMANITATE
PRÆCLARO
IN VENERATIONIS . CULTUSQUE
TESSERAM
EXIGUAS HASCE PAGELLAS
DICAT
DEVINCTISSIMUS AUCTOR

Si enim ullus est morbus cognitu difficilis, hydrops sane pectoris est.

Nenterus, *Fund. med. theor. pract.* p. 223.

Hydrothorax a graecis verbis ὕδωρ (aqua) et τῶραξ (pectus) nomen suum acquirit. Quamquam collectiones serosas omnes in pectore residentes tali pacto nuncupari possint, attamen denominatio talis exclusive tantum illis, quae intra pleuras efficiuntur, collectionibus, a medicis tribuitur. Et revera, quum serum in interstitiis cellulosi textus pleuras inter, musculosque intercostales versatur, non legitimum, ut dum retinetur in pleurae cavo, sed spurium hydrothoracem clar. Joannes Petrus Frank appellari jubet. In laticis serosi effusione in cavo thoracis atque collectione *hydros* Hippocratis, passim *hydrops pectoris*, vel *hydrothorax* sistit. Morbus hic et cognitu curatuque difficillimus evadit, omnibus medicorum curis pervicaciter obstat, et vitam summas inter angustias, miseris, quos adgreditur, haud raro secum abripit.

Et in primis quid de hydrothoracis divisione, et de humoris serosi in thoracis cavo effusi characteribus dicam.

Humor hic serosus et intra thoracis parietes effunditur ac retinetur, et nunc cavitatem ex integro, tantummodo nunc aliquam ejusdem partem occupat: modo in utroque, nonnumquam in uno tantum latere colligitur. Anterius tantum interdum, modo posterius solum implet mediasti-

770

num, et hydrops mediastini nuncupatur. Tum sub sterno et inter laminulas pleurae, vel in pericardii cavo, et *hydrocardiam* habemus. Nec pulmones ipsos hydrope corripi posse, oedema pulmonum efficiendo, et tunc effusus serus vel in aliquo sacco colligitur, aut intra cellulosas pulmonum tunicas, vel quadam in vomica, vel in hydatidum forma, exempla desunt. Ille humor qui intra hydatides continetur, *hydatideum* statuit; si in sacculo vel vomica, *saccatum* vel *enkysticum; liberum* vel *akysticum* oppositis sub circumstantiis. In *idiopathicum* vel *primarium*, et in *deuteropathicum* sive *secundarium* distinctus fuit hydrothorax. Cum ex se, et absque nulla praegressa organorum thoracicorum labe oritur, primus habetur; hic perraro in praxi occurrit et a multis auctoribus non admittitur. Alter, si ex alio morbo profluit, et si vel utpote symptoma, *symptomaticus*, vel ex sympathiae gratia, *sympathicus* nuncupatur. Juxta celeberr. Joan. Pet. Frank relate ad indolem vel *energicus* vel *adynamicus* esse potest, quae divisio, *hypersthenico* et *asthenico* neotericorum optime respondet. Serosi humoris in thoracis cavo effusi characteres, quam maxime juxta circumstantiarum diversitatem modificantur: et re quidem vera quoad quantitatem aliquibus in casibus tantummodo aliquot uncias reperitae fuere, dum aliis et ad decem et duodecim libras pervenire constat. Quoad colorem pariter odoremque quam plurimas humor differentias ostendit: nunc limpidus pellucidusque, modo sub

albidus, modo albida filamenta referens, nunc turbidus conspicitur: tum plus minusve saturum colorem offert, et citrinum, fulvum; ruber, rubellus vel sanguine fere tinctus aliquoties adparet. Aliâs bruneum, vel nigrescentem et atrum colorem ostendit, quibus in casibus odor foetidus emanat; et aliis vicibus inodorus evadit.

Hisce breviter expositis hydrothoracis divisione et seri effusi characteribus, nunc ad symptomata hunc morbum comitantia deveniamus.

Hydrothorax generatim cum levi dyspnoea manifestatur nec non molesta et sicca tussi; respiratio sub quocumque corporis motu celerior conspicitur sub aere frigido ac sicco haec phoenomena mitiora, in tempestate vero humida intensiora evadere solent. Postquam per sat longum temporis spatium hoc in statu haec permanserint, augentur; et revera prout major fit humoris serosi effusio, et phoenomena ab ipsa effusione pendentia intenduntur adeo, ut nec per quietem aeger levamen persentiat. Tum gravior redditur aegroto quivis decubitus, qui tamen plus minusve differt, prouti in hac vel illa thoracis regione morbosa collectio locum habeat. Et ideo si unum tantum thoracis latus serum occupet, in istum plerumque cubat aeger: si vero cavitatem ex integro impleat, tunc aegroti recti considere coguntur, nam corpore erecto et quidquam antrorsum flexo, serum proprio pondere inferiores thoracis partes petit, et superiores liberas relinquit, ut sit respiratio aliquo modo facilior. De die in die inde et sub levioribus

corporis motibus respiratio difficilis magis magisque redditur; nocturno vero tempore praesertim vexantur aegri, nam ob respirationis difficultatem nec cubare, nec somno quidquam indulgere possunt, et si, viribus labefactatis, somno corripiantur, periculo suffocationis imminente ab illo statim exterrefacti excitantur, e lecto surgunt, fenestras petunt, et illas ad puriorem aerem hauriendum anxietate summa aperiunt, quamobrem et summe delassati, tamen ullam requiem invenire queunt. Tussis interim crebrior fit, et molesta magis, aliâs excreata mucosa aut serosa ipsam comitantur. Facies inde pallet, adspectus mutatur et ad hippocraticum accedit. Vasa sanguinea oculorum varicosas dilatationes sumunt et hi languentes fiunt, visus ipse labefactari videtur nec vertigines desunt, et quandoque amaurosim in scenam prodiisse constat. Rubor lividus in naso labiisque adparet, quae aliâs pallidiora, nunc coeruleo colore tincta cernuntur. Vultus et universum corpus leucophlegmaticum at cacheticum habitum offerunt. Vox debilis et rauca evadit, et maximo cum molimine emittitur, et progrediente morbo faucibus omnino haeret: et excreata tum quando cruenta vel subcruenta conspecta fuere. Ponderis sensus praeterea in pectore percipitur molestus, obtusus, comprimens, nec non dolorem ad humeros, nucam artusque superiores extendentem persentiri docet clar. Raimannus. Morbo tali pacto progrediente vel totus thorax, vel pars thoracis adfecta oedematose tumet, et aliquando vultus, palpebrae superiores, nec non manus

ac pedes; in adfectione unius lateris, ejusdem tantum manus vel pes oedematosus fit. Juxta Corvisart praecepta thorax in effusionis latere amplior rotundiorque conspicitur. Circa morbi finem spatia intercostalia sunt magis sejuncta, a costarum dilatatione. Pectoris concussione sensum veluti aquae in thoracis cavo undulantis persentiri, et Morgagnius (1), Volffius (2), Willisius (3) referunt. Percussio sonum, illi, qui ex percussa coxa manu mittitur, similem edit. Ex sthetoscopii adplicatione respirationis defectio vel maxima imminutio, atque aegophoniae apparitio, discessus et redditus percipitur: cordis ipsius motus ejusque pulsationes modo lentiores, modo frequentiores, irregularesque fiunt. Ad morbosam compassionem et abdomen trahitur. Languet digestio, nutritio labefactatur, corpus contabescit, membra cuncta gelidus horror invadit, et superiores artus haud raro paralysi corripiuntur. Crura tument, aliquando genitalia, et saepe saepius anasarca in conspectum venit. Deprimitur interea adpetitus, et flagrans et inexplebilis viget sitis nullo potu coercenda. Alvus consuetim segnes, urinae parcae, rubrae, lixivae redolentes vel furfuraceum referentes sedimentum, nonnunquam colore intensiore bruneo vel nigro instructae. Pulsus diversimode percipiuntur nunc frequentes, celeres, pyretici, modo pleni, molles, suppressi fiunt, jam irregulares, duri, non eun-

(1) De sede et caus. morb. Ep. XVI art. 36.
(2) Ephem. T. V. obs. 54.
(3) Sepulch. Lib. II. schol. ad obs. 75.

dem in utroque carpo rythmum retinentes, et intermittentes, inaequales evadunt, non parvi, et adeo haud raro deprimuntur, ut sub exploratori digito aufugiant: quae tot differentiae et juxta organicas causas, quae morbi ansam dedere, et juxta humoris effusi quantitatem, nec non ab aliis circumstantiis pendere videntur. Haec omnia, progrediente morbo, exasperantur, et novae iterum adduntur ad finem usque extremum vitae. « Quem » tam saepe aliâs in primis, uti claris. Joan. Pet. » Frank, cellulosus hydrops producit, hinc ipse » nunc alias hujus indolis species post se trahit » hydrothorax. Pedes nempe, ac imprimis scrotum » nisi prius jam intumuerint, plerumque nunc ab » aquis infarciuntur, manus una, rarius et altera » jam jam magis intumescit, brachium idem, saepe » simul imperfecte resolvitur. Sub urina, scilicet, » in dies parciore, bruuea, ex atro rubella, cum » sedimento furfuraceo, lateritio, si morbum longiorem in moram protrahitur, ipsum quoque ab» domen inflatur, fluctuat ac ulteriorem septi tran» sversi descensum impedit: ut medias hoc inter » aquas utrimque suspensum, tensum, et vix non » immobile torpeat. Atque nunc, aquis nimirum » in utroque thoracis cavo collectis, de decubitus » in lecto actum est, et aeger diu, noctuque sedi» li infixus, prae tumore monstruoso hoc implens, » nec verba quidem absque anhelitu proferre, nec » somno vires refocillare, nec tamen pendente in » pectus capite, soporem molestum stupidumque » arcere potest. Pulsus hac sub renum positione

» saepe sensibiles nec ordinem, nec rythmum observant, extremitates algent crescit anxietas, frigus magnum aegros perstringit, linquuntur animo, iterumque ad se redeunt, ac tandem, media sub spe convalescentiae, repetito, quem toties superârunt, orthopnoeae insultu, vel et sine hoc, quin adfines id advertant, animam efflant. (1). »

Exposita tali pacto hydrothoracis phoenomenologia ad ddücidationem diagnosticam gressum facimus.

Relate ad diagnosim rite ex symptomatibus instituendam clar. Burserius haec verba protulit: « animadvertendum tamen est signa haec vix nisi morbus adoleverit se prodere, et ubi se prodnnt, incerta valde esse ac dubia (2) »: et praelaudatus Joan. Pet. Frank « symptomata hujus morbi exposituri, ante omnia haec sine exceptione multiloqua et infida esse dolenter et nos (tam alienis quam propriis in diagnosi erroribus admouiti) fatebimur.» Ex quibus, quod phoenomena supradicta, quamvis hunc morbum generatim concomitari consuescant, nihilominus saepe saepius ipsius diagnosim obscuris circumdari tenebris, cum dolore fatendum, et cum Neutero concludere fas est, quod si ullus sit morbus cognitu difficilis, hydrops sane pectoris est.

Phoenomena ergo non habentur, quae in hydrotorace constanter occurrant, et vere pathognomonica sint, ipsiusque praesentiam extra dubium ponere valeant.

(1) Epit. de cur. hom. morb. T. VIII. p. 220.
(2) Instit. med. prat. Lib. IV. pag. 143.

Aliqui hydrothoracis praesentiam dijudicarunt, quotiescumqua maxima respirandi facultas, decubitus in affecto latere facilis, respiratio erecta cervice minus imperfecta ac laboriosa, et facies hippocratica in conspectum veniunt: quibus omnibus alii adjiciunt oedema pedum, sitim ingentem, aut saltem magnam faucium siccitatem, artuum praecipue superiorum extenuationem, urinarum copiam insumptorum potuum quantitati non respondentem, ipsasque urinas crassas lixiviales, in locorum acclivium adscensu, vel supino decubitu anhelationem, aegros e somno exterrefactos excitari, tussiculam siccam, palpitationem cordis, pulsum parvum et crebrum, atque fluctuationis in pectore sensum.

Ast si haec perraro simul concurrere perpendamus, unâque cum aliis morbosis adfectionibus obvenire posse, vel quidem in hydrothorace omnino deficere, in quanam obscuritate adhucdum relate ad hujusce morbi diagnosim jacemus, illico videbimus. Et revera ut praecipua phoenomena, quae tamquam hydrothoracis pathognomonica a quibusdam habentur, ad trutinam revocemus, atque a respirandi difficultate gradum moveamus: probatis observationibus evictum fuit, respirationem initio saltem morbi nec pro minima parte adfici, quinimo nec provecto morbo saepe alterationis indicium praebere, uti docet praecl. Zimmermannus. Et Joan. Pet. Frank, (1) ex hoc criterio thoracem aqua repletum, ubi nec guttula extabat, judi-

(1) Op. cit. T. cit p. 214.

cari potuisse, atque nec de hydrothorace suspicionem adfuisse, ubi totum pectus effuso latice scatebat, dicit. Ad quod adsertum comprobandum virginis refert exemplum, cujus thoracem aqua virossa repletum, ad mortem usque liberam respirandi facultatem habuisse, et humili semper situ decubuisse, in cujus tamen thoracis dextero librae tres, in pericardio libra integra seri detectae fuere. Quod et alterius signi fallaciam denotat. Quoad vero nocturnam orthopnoeam et suffocationis metum, cum nemini lateat aliis quoque morbis communia esse, et cardiacis potissimum adfectionibus laborantibus solemnia, quantum de hisce symptomatibus sit faciendi unicuique patebit. Si ad tumores manus oedematosos mentem vertamus, exempla non desunt in quibus vel non vel tantum paulo ante mortem adparuere. Pedum oedemata, sitis ingens, corporis macies, facies hippocratica, et coetera supradicta phoenomena et aliarum partium hydropes concomitari adsuescunt. Nec plus luminis thoracis percussio nobis offert, nam sive ex pulmone aere inflato aquae supernatante, clarior, vel ex ipso pulmone carneam adepto consistentiam, obtusus mitti potest sonus, quin hydrotherax adsit. Majorem denique non meretur respectum undulationis sensus in pectore, ratio hoc obtinendi enim perrsro tentanda est, quum vel levissima corporis agitatio spiritum ferme praecludat, nec ubi thorax aqua admodum turget, vel humor in sacculo recluditur aut hydatidibus, indicium habeatur, Ubi tamen hoc symptoma haberi potest, hy-

drocardiae suspicione carente, magnum habetur hydrothoracis praesentiae indicium. Ex quibus omnibus quanta cum certitudine de pectoris hydrope judicari liceat, unicuique jam patet; et quoad hanc diagnosticam argumentationem, nil aliud, quam praelaudati Burserii sequentia adjungere verba puto: « Ceterum, quoniam nulla patognomonica signa hydrothoracis vere habeantur, nemo tamen velim credat, morbum hunc ita latere, ut praesens nequaquam dignosci queat. Ego quidem, si quid judicem, neque uno, neque altero signo confidendum esse arbitror, sed singula cautissime primum, deinde omnia simul expendantur oportet, antequam de eo feratur sententia. Itaque, si diligenti inito examine, multa simul copulentur ex iis, quae pro diagnosticis signis, supra enumeravimus, quid hydrothoracem adesse dubitaveris? Si, exempli causa, empyematis causae defuerint, fuerint vero quae hydropi inducendo aptae noscuntur, si respiratio difficilis jam sit, aut a quovis corporis motu fiat anhelosa, aut erecta cervice duci debeat, si ob suffocationis metum somnos repente interrumpat, si fluctuatio quaedam in pectoris cavea, procul tamen a cordis regione, percipiatur, si artuum imprimis inferiorum aut scroti oedemata, tussis, praesertim sicca, sitis, urinae parcitas concurrunt, si latus adfectum oedema exterius ostendat, quod interdum evenit, aut scapula aut brachium respondens tumeat, et torpeat, quod frequentius est, profecto non erit, cur certiora de hydrothorace signa desideres? (1) »

(1) Op. cit. v. c. pag. 145.

Hisce tali modo expositis, nunc ad aetiologiam hujusce adfectionis properandum.

Multiplices sunt causae, quae hydrothoracem producere valent, et nonnullae caeteris hydropibus communes sunt, aliae huic propriae. Duplex causarum genus caeterorum hydropum communium enumerari potest, quorum unum ab excedenti vasorum capillarium energia et serosi humoris secretione pendet, alterum ab imminuta lymphaticorum actione procedit. Evolutionem hydropis prioris speciei fovent omnia, uti clar. Raimannus monet (1), quae vitali incitamento adaugendo sunt paria, et in primis nutritio excedens ex nimia alimentorum quantitate, vel optima eorum qualitate, potus calefacientes nimia copia insumpti, sanguinea vel aliae indolis profluvia sive artificialia, accidentalia, vel naturalia, vel etiam morbosa potissimum de repente suppressa, uti ex. gr. catameniorum, lochiorum, epistaxeos, haemorroidum retentio, fonticuli et ulcera confestim remarginata, diarrhoeae et dysenteriae inconsulto choibitae, et sic porro. Hydrops ex absorptionis defectu produci potest ab universali localive debilitate, ab omnibus morbificis potentiis generalem atoniam inducentibus, speciatim vero quacumque de causa ab imperfecta haematopoësi, serosa sanguinis crasi, ab alimentorum deficientia vel prava indole etc. Nec minori ratione et aër humidus frigidusque, segnes vita, humorumque nobiliorum jacturae hydrothoracis evolutioni ansam praebent. Inter hasce causas et mala pecto-

(1) Principia Pathologia ac Therapia specialis medica Tom II.

ria conformatio, et ipsius cavi ab aliquo tumore compressio, contusiones, vulnera thoraci illata recenseri merentur. In hujusce morbi causa, et propinationem fuisse magna copia solventium et praecipue mercurialium in annosis tumoribus fereque scirrhosis viscerum obstructionibus sanandis, a nonnullis compertum fuit. Et ab aliis inflatio pulmonum violenta, uti in tibicinibus cantoribusque saepe saepius contigit. Ex suppressa scabie haud raro hunc morbum originem habuisse celeberr. Morgagnius tradit. Ingurgitatio aquae nimia, potuumque frigidorum corpore potissimum aestuante, sudoreque madescente insumptio, exanthematum variolarum, morbillorum, scarlatinae, etc. podagrae et arthritidis retropulsio, pleuritis male curata, asthma, febres intermittentes, scorbutus, pneumonitis, phthisis, vomicae et tuberculi pulmonum haud raro ab hydrothorace excipiuntur. Frequentius autem ex organico quodam cordis potissimum vitio, vasorunque majorum, pulmonum aliorumque viscerum hydrops thoracis enasci videtur: et huc concretiones polyposae spectant, ossificationes parietum vasorum, et valvularum praesertim indurationes, aneuryamaticae dilatationes, cordis hypertrophia, mesenterii, hepatis, lienis tumores, vasorum pulmonalium et bronchialium compressiones juxta Corvisart, et ductus thoracici ruptura, ut Willis et Lower opinantur. Vapores metallicis substantiis scatentes, mineralea exhalationes, polysarcia, costarumque chartilaginum ossificationes eundem adfectum gignere valent. Praeterea et causae denique

morales, juxta perillustris Alibert magnum influxum in hunc morbum procreandum exercent: « Le cause morali (dicit ille) sono inoltre tanto at» tive, quanto le fisiche. La vita molle, e sontnosa » dei grandi, gl'imbarazzi e le inquietudini dome» stiche, i continui dispiaceri, le voluttà debilitanti, » le fatiche dell'ambizione, le animosità, che perse» guitano l'esistenza nel mondo sociale ec. possono » certamente sviluppare la terribile malattia di cui » trattasi (1).» Nunc quid de causa proxima dicendum: sed quum haec caeteris hydropum speciebus communis sit, quin plura de hac re tradamus, brevitatis causa, nobis hic adjicere sufficiat, censendum esse cum Raimanno, nempe cujuslibet hydropia causam proximam in sublato oequipondio vasa inter absorbentia et exhalantia sistere, quod quidem oequipondium auferri potest, sive secretione adaucta licet lymphaticorum actio normali in statu se habeat, sive secretione juxta normam se habente, imminuta vero vasorum absorbentium actione.

Utrum morbus hic cum veteribus asthenicae semper indolis, vel hypersthenicae semper naturae cum recentioribus habendus sit, disceptare nostrum non est consilium, tantum boc, quod observationibus factisque examini rite subjectis rationi consonum omnino est concludere, hydropem fere semper activum esse, tamen aliquando et oppositam indolem ac naturam etiam referre posse, addere credimus.

Hydrothoracis diagnosi ac aethiologia exposita ad prognosim prius, dein ad therapeusim devenimus.

(1) Nosogr. Nat. v. 3 p. 199

Effusionis laticis serosi in pectore conditionem, gravissimum semper, periculoque plenissimum morbum constituere, atque perraro ad perfectam perduci sanationem, commonere juvat. A causis vero, quae ipsum genuerunt et substinent, a sexu, constitutiona, aetate, temperamento, aliarumve circumstantiarum diversitate diversa in hoc morbo et plus minusve gravis prognostica ratio eruitur. Semper tamen cum periculo conjungitur, eoque vel majore aut minore pro diversa symptomatum et causarum ratione. Quo symptomata graviora sunt morbum concomitantia, eo difficilius in sanationem hic morbus resolvitur. Hydrothorax acutas plenritidi aut peripneumoniae superveniens, si apta instituitur therapeusis, neque organica vitia insolubilia remanserint, facilius chronico sanationem attingit. Si causa levior vel facilius amovenda hydrothoracem produxit, in cura instituenda et sanatione revocanda minores difficultates occurrunt. Juxta majorem humoris effusi minoremve quantitatem, et majus minusve periculum aegrotantibus imminere nonnulli sustinent: ast praelaudatus Burserius et ex parva seri sed acrioris indolis copia gravissima damna et mortem ipsam prodire nos docet. Qui ex cordis, vasorum majorum, aliorumve viscerum organico vitio insolubili promanat, post longum plus minusve tempus lethalis semper evadit. Thoracis hydropem saccatum omnibus pervicaciter resistere medicaminibus, permulti sustinent. Symptomata nonnulla etiam non desunt, quae vel boni malive ominis signa habentur. Et in primis ex uri-

na; si haec copiosa naturali similis aut pallidior emittitur, generatim aegri e morte non aufugiunt; dum e contra, si plus excernatur urinae quantitas, quam, quod potu adaumitur, secundae valetudinia, dummodo haec crassior sit, referatque sedimentum, juxta Celsum (1), spem effulgere relinquit. Si parca urina fluat, ast profunde tincta de salute recuperanda non omnino timendum; si vero copiosior jam medicaminum ope reddita, iterum imminuitur, et intensiorem induit colorem, quin hujusce rei causa dignosci possit, tum de aegris actum est. Manus conspicere oedematosas pro malo signo carte judicandum. Si ad sputa vero cruenta et subcruenta attentionem nostram vartamus, statim haec ut pessimi ominis indicia haberemus, aegri enim, qui ea offerunt haud raro inopinate moriuntur, atque vix unquam sanari possunt, quod et Burserius cum istis verbis confirmat: « sanguinis spnta hy» drothoraci supervenientia exitium fere praenun» ciant: pulmones enim aut exesos, aut enormi» ter compressos, aut vasa eorum magna ex parte « obstructa subsequuntur (2). »

Cognita debiteque hydrothoracis confirmata diagnosi, divinationeque instituta, modo de mediis therapeuticis quaedam adnotanda veniunt. At quoad primum dicemus, quod si ullus adsit morbus, in cujus medendi methodo seligenda ac instituenda causarum cognitio necessaria sit, in pectoris hydrope profecto haec cognitio valdopere necessaria eva-

(1) Lib. III. cap I.
(2) Op. cit. v. cit. pag. 154.

dat. Et quemadmodum infinitae, ut ita dicam, quae hunc morbum gignere valent, causae sint, sicque infinitas quoque therapeuticas rationes adnotare deberemus, quod et temporis brevitas, strictique dissertationis limites nobis vetant: quapropter generali tantum sub intuitu argumentum hoc pertractare consulimus. Et hic therapiae genus a praestantissimo Alibert institutum silentio praeterire nescimus.

Quum hydrops pectoris nuperius in robusto et bene constituto juvene evolvitur, atque in acutum decursum niti ostendit, et a nulla organica alteratione certe pendet, sanguineaeque plethorae indubia sigoa in praesens sunt, absque metu ad phlebotomiam, pro re nata etiam repetendam, recursum habere licet, istiusque effectus caeterorum antiphlogisticorum medicaminum usu fovere decet; hujusmodi tamen casus, perraro nostris in nosocomiis commonendum est. Quae magis hic convenit curationis methodus illa est, qua alimentaris tubus et viae uropoëticae concutiuntur, quo sub intuitu roborantia, sudorifera, purgantia, et diuretica maxime conferunt. Cremor tartari, sub-boratis ope, solubilis factus remedium sistit, quod frequentius mihi usuvenit, atque ad quatuor drachmas in magno succi taraxaci, vel seri lactis depurati cyatho praescribi solet. Nec minus salutares gignit effectus potassae acetas, qui vasorum absorbentium actionem mirum in modum intendit: optimum ei praebet vehiculum graminis decoctum vel lactis serum. Non absque emolumenti spe aliquando in usum vocari poterunt decoctiones stipitum dulcamarae, ra-

dicum asparagorum, internorum sambuci corticum, foliorum parietariae, ebulique seminum. Digitalis sub diversa forma suppeditari potest, semperque salutares effectus ab ejusdem administratione expectandi erunt. Quot non squillia ejusque praeparata sibi vindicat laudes? Ipecacuanha, tartarus emeticus, antimonialia in genere, et mercurialia a quamplurimis laudibus coelo extolluntur. Balsamum peruvianum, et copaibae, sarsaparilla, aquae minerales ferrugineae, china-china, gentiana rubra aliaque hujus generis valdopere ab aliis comendantur. Quod externe admovenda remedia attinet, vesicatorium camphoratum inferiori et posteriori pectoris parte adplicari jubeo. Deinde cauteria brachiis, cruribus, internaeque coxarum parti instituenda sunt, neque frictionibus tum siccis, tum substantiis spirituosis parcendum. Denique ipsa paracenthesis nonnullis sub circumstantiis celebranda est.

Quibus ab hoc praeclaro viro traditis pauca adjungenda. Obliviscendum tamen non est, potiusquam purgantium, quae male generatim cedunt, usui indulgere, diaphoretica, et potissimum diuretica usurpare conferre. Nonnulli leves kermetis mineralis doses frequenter repetendas suadent, tum alii polygalae amarae decoctum, althaeae et liquiritiae, oxymellae simplici, vel squillitico addito, valde commendant. Qui ad nocturnas anxietates compescendas opiata praecipiunt, magno in errore versantur, exinde enim omnia mala incrementum capere consuescunt. Juxta Joannis Pet. Frank praecepta sequens mixtura optimos exeris effectus, constans ex

gummi ammon. dracb. duabus solutis in liq. terrae fol. tart. et aq. Petrosel. et junip. āā unc. tribus, pulp. squil. marinae rec. gr. viginti, naphthae vetriol. dr. semis syrup. cin. uncia: cochleatim omni bihorio sumenda (1).

Clar. Burserius praeter haec nonnunquam succum aut pulverem asellorum, spiritum salis dulcis, vel nitri, sal volatile succini, lac gummi ammoniaci, aliaque bujus generis convenire vult.

Ut aliquid denique de externis remediis dicamus, vesicantia pectori, inter scapulas, brachiis, coxis, surisque adplicita, frictiones cum unguento Autenrietbiano, aut cum aromaticis substantiis, vel ut nonnulli ex neotericis cum oleo crotonis tilii peractae, magni in hydrotborace emolumenti esse consuescunt. Ast quid, de thoracis paracentbesi, quam nonnulli commendant, alii acriter objurgant, sentiendum?

Veteribus non nova haec operatio aderat. Non simul et semel, sed partitis vicibus tantum aquam ex pectore eduxit Hippocrates. Pro generali enim regula olim habitum fuit, nunquam simul et semel ex cavis majoribus corporis educere humores, qui in his praeter naturam colligebantur. Unde Aphorismis (2) legitur: « qui suppurati aut hydropici uruntur, pure aut aqua confestim affluente, » omnino intereunt. » Galenus in Comentariis ad hunc Aphorismum idem asserit, et Erasistrati testimonio confirmat, idemque metuendum esse in

(1) Op. cit. v. c. pag. 406.
(2) Sect. 6. aph. 27. Tom. IX. pag. 263.

aliis corporis partibus, aeque ac in thorace, monet, si magni abscessus sic aperiuntur, ut uno impetu contentum pus educatur. Saltem ex his concludi potest paracenthesin thoracis antiquioribus Medicis in usu fuisse, et plures evasisse post eductam ex thorace aquam. Diserte enim Hippocrates (1) dicit: « si quinto die linamentum pure obductum » fuerit, plerumque evadit: sin vero hoc non conti- » gerit, postquam aquam exhauseris, sitis corripit » ac tussis, et moritur. »

Thoracis paracenthesin in pectoris hydrope utiliter institui posse et recentiorum observata docent. Celebris du Verney (2) observationibus eruitur, quod foemina non tantum pectoris, sed et ascite laborans morti proxima felici cum successu thoracem pertundendo per aliquot tempus vivere potuit. Praeterea felicia eventa et innumera et in Memoriis Academiae Chirurgicae (4) et in Diario Medico (3) perleguntur. Et Joannes Pet. Frank ab hydrope et pectoris atque abdominis hoc momento sanatam vidit foeminam. Notione hac tot felicibus hujusce operationis eventibus coronatae cur unquam ad paracentesin inhydrothorace recurrendum nonnulli doceant, non adparet. Cum fere omnes hoc fatalissimo morbo correpti pereant, qualis in istis casibus omni spe sanationis deperdita, controindicatio paracenthesis aderit? Tegumen-

(1) De morbis l. 1. c. 24. Tom. VII. pag. 576
(2) Accadem. des Sciences l'anno 1703. Mem. p. 199
(3) Mem. dell' Accad. di Chir. T. II. p. 244.
(4) Giorn. Med. T XVIII. p 421

torum forsitan aut musculorum magni dorsi, vel intercostalium, pleuraeve laesio erit? Unquam certe, et revera vulnera in cavo pectoris penetrantia, laesione partium contentarum excepta, tam periculosa non evadunt. Humoris effusi exitus absoluto utilitatem proferat, necesse est, et si vulnus quod in paracenthesi perficienda agitur, mortem accelerare nequit, horum humorum exitus nil, quam illam retardare potest. In pectoris cavo humoribus hisce manentibus, quod, per alias vias isti resolvantur, pulmonumque vitium mutationem subeant, an aperare licet? Et quis, si absolute locum determinatum humoris in cavitatem cranii extravasati agnosceret, et non ad trapanationem illico recurreret? Si medici et chirurgi nimis meticulosi fuerint in educendis aquis ex thoracis cavo, quam audax facinus debet videri omnibus, si quis cogitaret de pertundendo pericardio, dum hydrope turget? Si in hydrope ascite paracenthesis instituitur, cur non et in hydrothorace, ubi ex hoc tot et tam graviora quam in illo mala profluunt? Ex hisce omnibus non parvi momenti hanc operationem existimari, concludere fas est, talemque esse, ut cognito absolute morbo, apta sub circumstantiis, debitisque cum cautelis instituta salutares effectus gignere valeat.